



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

De obedientia inchoata. tit. 145

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

Catholica prohibet simplicibus Ecclesie mēbris sub
 certa censura, non tenere apud se, neq; legere glosse-
 mata & libros hæreticorum, neq; sermones audire.

Tertiò, Pleriq; putant magnū thesaurum relinque-
 re filijs suis, si libros hæreticorum collectos illis re-
 linquunt: sed hoc est dare occasionem, quòd agnita
 semel veritas iterum euomat, articuli damnati re-
 uiscant, sicut iam per Luterū reuixit Vvigness, Go-
 chius, Pauperes de Lugduno, Begardi, Arriani, Dona-
 tilæ, &c. omnes penè sectæ sunt, sicut illi, redeuntes
 in Aegyptum, credentes detractoribus, Num. 14. Ca-
 nes sunt, redeuntes ad vomitum, 2 Pet. vlt. Et Spiri-
 tus malignus redit cum septem nequioribus se, & e-
 runt nouissima peiora prioribus, Lu. 11. Ideò potestas
 & magistratus qui sunt defensores veritatis, & mini-
 stri legis Dei, tenentur tales libros comburere, tolle-
 re & condemnare, adiuuandi per potestatem Spiri-
 tualem, quatenus pax Ecclesie conseruetur, & chari-
 tas non scindatur.

Dices, Multa bona in illis reperio: Respō. Hoc tu à
 iudicio Ecclesie expectare debes, quid boni & quid
 mali in illis libris sit, non tu iuxta carnem tuam &
 caput dijudicare debes. Si enim quid boni in illis est,
 hoc etiam in Catholicis libris habes. Tuum est audi-
 re Ecclesiam, Matt. 18. qui hanc non audiērit, Ethni-
 cus aut paganus est, non Catholicus Christianus.

DE OBEDIENTIA IN-
choata.

TITVLVS CXLV.

S Postolus dicit 1. Corin. 13. Cūm venerit
 quod perfectum est, cessabit quod im-
 perfectum est, &c. Nostra dilectio, spes
 & timor, & cætera Omnes virtutes &
 fructus Spiritus sancti in præsentī vita,
 nec obedientia legis perfecta sunt. Nam in hac vita

Z z 4 hoc

hoc præceptum, Deuter. 6. Diliges Dominum Deum ex toto corde, tota anima, tota mente, omnibus visibus & proximum sicut teipsum, nemo ex toto implet, propter immunditiam naturæ nostræ & corruptionem. Sed hoc faciet in futuro, quando omnis carnalis cupiditas & languor naturæ erit sanatus per incinerationem, & iterum natura resuscitata & purior facta.

Ideò hîc solùm fit quædam inchoata obedientia, id est, incipimus tantùm obedientes esse in dilectione, timore, gaudio, continentia, pace & caritate, obedientia legis. Sicut etiam in cognitione Dei, solùm incipimus hîc Deum diligere, id est, cognoscere, & legem eius facere. Et quoniam omnia opera nostra, virtutes, & fructus Spiritus sancti non sunt perfecta, ideò oportet quærere aliud, id est, fortius fundamentum, quo saluemur. Non satisfacimus legi, nec perfecte diligimus: ideò nostra imperfecta satisfactio legis, timoris, &c. non certificat nos de salute: ob id oportet confugere ad diuinam misericordiam, promissam propter Christum, quæ est causa iustificationis & salutis nostræ.

Secundò, in eum finem etiam dicitur, quia hîc incipit vita æterna, id est, per cognitionem Dei, Ioan. 17. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te Deum &c. sed hæc cognitio hîc est per fidem, verùm clarior & perfectior erit in patria: tunc enim non per speculum & in ænigmate, sed facie ad faciem & car. 1. Corinth. 13. Sic dilectio & obedientia erit perfectior, sicut etiam est angelorum. Nullum tunc erit impedimentum, neq; carnis, neq; mundi. Et quoniam sola est inchoatio obedientiæ Dei, ac virtutum & fructuum Spiritus sancti, non perfectio, ideò credimus gratia diuina lesu Christi saluari, Act. 13.

Tertiò, vt igitur hîc incipit vita æterna per cognitionem Dei, sic quoq; hîc damnatio incipit, id est, per
na, igne-

re, ignorantia, tribulationes à Sathana excitata, fle-
 us, fridor dentiū, &c. Sed in futuro erit multò gra-
 uior infernus & pœna, desperatio, impatientia, &cæ:
 Sic pleriq; hîc in odio, inuidia, luxuria, auaritia, &
 gula, &c. quos sequetur dānatio. Viuentes malè, di-
 cantur esse in inferno, vtcunq; hîc latentur. E diuer-
 so pij habentes gaudium Spiritus sancti in mente, de
 futura beatitudine, quam oculus non vidit, nec auris
 audiuit, 1. Cor. 2. Esai. 64. &cæt. sunt in cœlo, etiam si
 hîc sunt incarcerati, infirmi in corpore, &c. Sic dice-
 bat Apostolus: Nostra cōuersatio est in cœlis. Habēt
 ergo mali hîc inchoatum infernum, Boni verò in inchoatum cœlum. Philip. 3.

QVID SIT VETUS ET
 nouus homo.

TITVLVS CXLVI.

HOMO vetus, carnalis, naturalis, exte-
 rior homo, aut homo peccati, corpus
 peccati, omnia hęc idem significant. Et
 est homo vetus, homo, qui nondum ha-
 bet spiritum sanctū, nec est baptizatus,
 aut iustificatus, & perfusus spiritus sancto, & ille non
 percipit ea, quę sunt spiritus Dei, id est, spiritus sancti.
 Stultitia est illi, & non potest intelligere, quę spiri-
 tualia sunt, 1. Corinth. 2. Illius fructus opera sunt in-
 terna concupiscentia, superbia, inuidia, mala volun-
 tas: Externa opera & fructus, peccata manifesta con-
 tra legem Dei, Galat. 5. Manifesta sunt opera carnis,
 fornicatio, immunditia, &cæt. Romanor 8. Qui in
 carne sunt, placere Deo non possunt, quia nō nisi car-
 nalia sapiunt Ioann. 3. quod natum est ex carne, caro
 est. Gal. 6. Qui seminauit carnalia, id est, carnalia fe-
 cit opera, metet corruptionē, id est, damnationē, &c.
 Hunc veterem hominem docet ybique Apostolus,
 Z z 5 vt mor-